

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Electio d
cum fonte primo

Non statim multitudinis acquiescamus iudicio
sed electi in principatum nouerimus
mensuram nostram et humiliemur sub potenti manu Dei
quia Dominus superbis resistens, humilibus dat gratiam.
Quanti panes non habentes et uestimentum
cum ipsi esuriant et nudi sunt, nec habeant spiritalis cibos
neque Christi tunicam integram seruauerunt,
aliis et alimoniam uestimentumque promittunt,
et pleni uulneribus medicos esse se iactant.

Ieronymus super Ysaia libro III.: Non sum medicus
et in domo mea non est panis neque uestimentum.
Nolite me constituere principem.

Ergo non statim multitudinis acquiescamus iudicio,
sed electi in principatum nouerimus
mensuram nostram et humiliemur sub potenti manu Dei,
quia Deus superbis resistens, humilibus dat gratiam.
Quanti panem non habentes et uestimentum,
cum ipsi esuriant et nudi sunt, nec habeant spiritalis cibos,
neque Christi tunicam integram reseruarint,
aliis et alimoniam et uestimenta promittunt;
et pleni uulneribus, medicos esse se iactant.

Hieronymus Stridonensis, *Commentariorum in Esaiam libri XVIII.*, 2.3.7 (CCSL 73, M. Adriaen & G. Morin eds., p.50, ll.15-22).